

NUMMUS CASTRENSIS
 EFFIGIEM SOLYMANNI, UNA
 CUM DELINEATIONE URBIS ET CASTRI BEL-
 gradensis, referens erepti Christianis
 Anno Christi 1521.



SOLYMANNUS Turcarum Imp. Caierbeio sive Cazelli Præ-
 fide Syriæ profligato, Ægyptoq; recepto, quietis impatiens,
 ne ab Ottomannicâ erga Christianam Remp. rabie deficere
 videretur, Belgradum, quæ & Alba Græca, totius Ungariæ,
 adeoque Christianæ Reip. propugnaculum ex Pyrrhi Bassæ,
 viri ingentis animi & consilij, instinctu oppugnavit. Reser-
 vabantur enim in munitissimo isto oppido vexilla & trophæa Turcis à tem-
 pore Amuratis, usque ad Solymanni imperium erepta. Legati insuper Tur-
 cici ab Ungaris malè habiti, causam & initium belli, & quæ eam sequebatur
 calamitatis dedere. Ingenti itaque collecto exercitu properè famam ipsam
 adventu suo prævertens, Serviam ingreditur: inde Ungariam: cui tum Lu-
 dovicus Ladislai filius, juvenis rerum imperitus, nec quicquam præter no-
 men Regium inter Proceres Ungaricos obtinens, præerat, nemine obsisten-
 te petit. Præfectus Belgradi, cognito imminente periculo, auxilium & stipen-
 dia pro militibus petens, spe sua frustratur. Tyrannus urbem Belgradum ci-
 tra ullum suorum detrimentum expugnat, diripit, militique Christiano
 præfidiario, cui auxilia non mittebantur, stipendia à suo rege debita persol-
 vit: sacramento solutos impunè dimittit, sibi que aditum planum ac
 facilem non tantum in Ungariam, sed etiam reliqua Chri-
 stiani imperij regna patefacit. *Philipp.*

Lonicerus Author.

